

Quid beato viro Roma redeunti acciderit¹.

In primo huius operis libello² sub brevitate diximus, virum Dei Odilonem in extremis suis Romam adisse, ea spe, ea devotione, ut ibi sub protectione tantorum apostolorum mereretur vitam finire. Nunc iterum manifestius et diffusius volumus describere, quid ibi passionis sustinuerit vel quantum temporis ibi fecerit et quomodo contra spem omnium Deo miserante ab infirmitate convaluerit. Hanc enim urbem, ut omnibus patet, vir beatus avido gutture sitiebat, pio semper corde ruminans, quam illic in³ christianorum Deo carum genus seva tormenta exercuerit praedo veternus. Ad quam etiam sepius fertur profectus esse ibique per ebdomadas dierum et spatia multorum mensium loca sanctorum circumeundo mansisse piis oculis intendendo, quibus suppliciorum iniuriis athletę Dei certando meruerunt mori pro Christo. Quorum suffragia exposcens obtabat, si fieri posset, telluri passionibus eorum sacratę suum moriendo corpus committere, quo et eius anima ipsis consociaretur in perpetua requie. Biennio itaque antequam ex hoc mundo tolleretur, eandem urbem summo cum desiderio expetiit et in illa die vigiliarum dominicę nati-
vitatıs⁴ intravit. Peractaque devota oratione interfuit electioni domni Clementis et agente imperatore cum aulicis primatibus dignum iudicavit, prædictum virum apostolicum conscendere thronum. In crastinum vero, quando Deum humanatum ex sancta virgine natum omne genus celebrat christianorum, advenit, ut videret regem Heynricum imperiali diademate coronandum. In cuius sacra unctione praesens adstitit dans gloriam Deo, qui Romanum imperium electo iustissimo praesule et catholico reipublice principe sedatis malorum turbinibus roborare voluerit. Transegit vero illas ternas ebdomadas partu beatę virginis dicatas in eadem urbe, orans Christum ad apostolica limina et perlustrans multiplices sanctorum ecclesias, vota multiplicationum Deo offerens et clericis ecclesiarum atque pauperibus largam manum impertiens. Sicque peractis octavis sanctę epyphanie⁵ invitus, ut ipse fatebatur, discessit. Namque in ipsius diei crepusculo, quo recedendum erat, consistens in beati Petri ecclesia, nobis ex abdito prospicientibus, inmensos gemitus profundeabat, obsecrans, ut celitus secundum suum votum exaudiri mereretur. Et postquam ab eodem venerabili templo exiit, iterum intus rediit, contra sanctum altare moetanęam⁶ misit diuque tacitam praecem fudit. Inde erectis ad cęlum luminibus Deo et sancto apostolo se commendans gressum retorsit, talem se agens, ut in pallore vultus eius dinosceretur, quia non sponte ab illo loco divelleretur.

1) Mit rother Farbe.

2) Lib. I, c. 14.

3) 'in' fehlt hs.

4) 1046, 24. Dec.

5) 1047, 13. Jan.

6) i. e. metanoeam.